



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VI. Beatam dicit Virginem Natura sensitiva; quia in ejus cultu hominibus
præire permissa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

munica catholicè; nocte enim & horâ nati mei Filij morieris, (dies tunc agebatur Divæ Conceptæ) & ad me in cœlum evolabis, interea fer omnia patienter. Infert Fornerus. Cùm hæreticus sis, quomodò Virginem salutâsti? reddit ille causam; se ipsius concione motum. Fornerus ait. Si non fingeret, se eum absolurum. Respondit Iuvenis, hoc eventum probaturum. Confessus, communicavit, extremam tamen unctionem non nisi in Vigilia Nativitatis accepit, & nocte Nativitatis mortuus qui deinde multò meliore formâ, quàm dum in vivis esset conspiciebatur. Nimirum Terra est Deipara juxta illud Itai: 47. *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Germinat Salvatorem ut terra pro omnibus indifferenter. *Templum* est Virgo Sancta, quod cuilibet patet peccatori. *Rebecca est, Gen. 24.* quæ rogata ab Elieser, non solum illi ipsi, sed & camelis ejus præbet potum. *Electa ut sol,* ac ideo non solis justis oritur. Improbus erat Saulus meritisque peccatis, & jam in manus David inciderat 1. Reg. 4 & hortabantur milites, ut non differret ultionem David, tamen quia Saul deprehensus in spelunca *Engaddi*, quæ Virginem Sanctam significabat, omninò David illi pepercit.

6. Beatam dicit Virginem Natura sensitiva; quia in ejus cultu hominibus præire permittit.

Rem à Sanctis animalibus quæ vidit Propheta verbis *Amedei* ordiamur. Sancta animalia de quibus legitur in *Ezechiele* quòd antè & retrò, intùs & foris, usque in circuitu plena sunt oculis: labores hominum, & dolores, casus, defectus, cæcitates, invaletudines, extrema pericula, incertos exitus vitæ, & mala quæque humani generis, non æquè ut Dei Genitrix valent examinare examinando, cœlesti auxilio diluere & propulsare: quòd enim sublimiùs immensi Regis cor aspicit, eò profundius Divinæ gratiæ pietate, afflictorum & misereri, & miseris succurrere novit. De iisdem dñs. animalibus (quæ non dubitamus esse Angelos nec esse sensitiva, reducimus tamen huc ratione nominis communis, *Guilhelm, in 3. Cant.* ubi docet. Quòd ideo plena sunt oculis, ut non tantùm sibi sed etiam alijs invigilent piarum sollicitudine curarum. *Et postea addit.* Quid frustra malignus expandit rete ante oculos eorum? undiquè sunt oculi eorum aperti, ideo frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Quis tam plenus oculis, quàm Mater luminis? quis pari sollicitudine sibi & alijs invigilavit, ac Mater pietatis?

D d

Sed

Sed tandem ad vera & sensitiva animalia descendamus. A columba fit initium. Scribit *Josephus Bonfinius de rebus Messanensium* quòd columba volatu designaverit locum & ambitum pro templo Virgini erigendo. Coram imagine B. Virginis Lindensis pecora in genua provolvebantur, & eo indicio latentem imaginem prodiderunt. Ita *Clavius Lindæ lib. 1. cap. 17.* Statua B. Virginis in *Brugerijs* (inquit in *Atlante Mariano Petrus Possinus*) propè Tolossam in agro jacuit, hanc boves in terra proni adoraverunt, quasi ejus ectypon esse intelligerent, quem olim boves venerati sunt in stabulo. Boves etiam illam venerati quæ est *Boleslavie* in Bohemia. Boves illam quæ *Zyrovicijs* in Lithvania, & quæ *Gidlis* in minore Polonia, & alibi. Sed non soli rudes ac cicures boves cultum Virgini professi, verum etiam acriora animalia. Dum Virgo peregrinaretur in Ægyptum, memorat *Cartagena libro 9. hom. 10.* causâ honoris varia animalia prodijisse: urfos, leones, dracones, leopardos, & volucres inquit: miraculosè concinebant Christo Dominæ Salve Rex. Idem addit, quòd B. V. dum vellet quoddam Gentilium templum ingredi, se ultrò illi portæ referârunt. De S. Francisco *S. Bonavent.* scribit. Habuit hic Sanctus oviculam, quam monere solitus erat, ut laudibus Divinis intenderet: itaq; dum fratres in templo canerent, & ipsa in templum ingressa steterat genua balatus. emittens ante altare Deiparæ Matris Agni, ac si eam salutare gestiret. Etiam avicula quomodo Virginem coluerit audiamus. *Jo. Fr. And. de Urano de imagine D. Virg. in Avagonia dictæ de Cogulada.* Mulier quærebat propè ripam fluminis herbas quaspiam, audit suavissimum alaudæ concentum, & sequitur, & ecce imago Virginis cum suo Puerulo cujus dexteræ insidens avicula concinebat. Mulier detulit imaginem Cæsar-augustam, tradidit cuidam, reservat ille in arca obserata, sed imago paulò post disparet, quærunt in loco ubi priùs reperta fuit imago, & ecce alauda rursus cantillando, ac manui Pueri Iesu insidendo colit Virginem cum Puerò, demùm per Episcopum imago translata, ac in honore summo haberi cœpit, atque miraculis clarescere.

In finita exempla allata pecorum coram imaginibus Virgineis procumbentium de genu, adduci possent. Unum mundi pecoris ex *Joan. Bapt. Alb.* adducam quo inde votos huic Virgini magis compungam. In Romaniola est imago Virginis cognomento miraculosa, hoc indicio, venerabundæ suis à pastoribus reperta: solebat hæc porca circa meridiem deserto grege quendam collem nemorosum ascendere, & ibidem morari, sequitur pastor naturâ an casu unam manum siccam habens, ac inutilem, reperit scrofam orantis situ fixam coram imagine arboris vetustissimæ affixa. Allocuta statim imago pastorem, & imperavit ut sibi eo loco
templum

templum extrueretur: in cuius rei fidem spondet sanitatem manus, ubi coram Magistratu exposita legatione manum in sinum immiserit, & extraxerit, quod totum ex ordine evenit.

7. Beatam dicit Virginem Naturam vegetativa; quia suo modo illam prædicavit.

Sozomenus hæc habet *hist. cap. 20.* arborem esse in valle quæ Persis dicitur Hermopoli, quod est oppidum Thebaidis: cuius fructus aut folium, aut particula corticis admota; morbos plurimos depulerit. Nam traditum est Joseph cum propter Herodem assumptis secum Christo & Deiparâ fugisset, venisse Hermopolim, atque simul ut portæ appropinquaret, istam arborem licet planè maximam adventu Christi commotam esse, atque ad solum usque se inflexisse, & Christum adorasse cum Virgine. *Abulensis in 2. Matth.* simile quidpiam refert, quòd in eadem Virginis peregrinatione accidit, cum inquit, dactylos ex palma vellet colligere D. Virgo: arbor se inclinavit, & ubi ejus usum Virgo absolvit, iterum se erexit, quod idololatæ videntes arborem lucciderunt: sed ea sequenti nocte rursus ad eandem integritatem redijt, relictis tamen cicatricibus incisionum. *Tusell. lib. 5. cap. 6. de dono Lauret.* Tenet fama nec vana est fides: venienti Deiparæ domicilio arbores obvias velut venerabundas inclinasse sese, ac proinde pronas perstitisse. *Ibid. cap. 9.* Arca quam domus sacra occupaverat nitebat semper vernantibus herbis, floribusque, cum omnia circum densis obsita virgultis ac sentibus horrerent. *S. Sabbas Men. 15. Aug.* B. Virgo cum triduo ante à Filio nuntium de morte sua accepisset, Virgo itineris ad Filium suscipiendi mox desiderio flagrans, in montem olivarum ascendit, precibus accuratè fundendis intenta: hoc enim solenne jam habuerat, ut in eo monte jugiter orationis studium continuaret; verùm id loci inopinatum quiddam tunc evenisse perhibent; quippe arbores in monte isto plantatæ, spontaneo motu inclinârunt se Virgini colendæ, planè ceu vivo tantæ Dominæ serviendi affectu pollerent.

Jungamus hic fructus olearum suis oleis. Jo: *Bugbesius lib. de Patrocinio B. Virginis* narrat. Cum fuisset editum diploma à Paulo V. anno 1617. 31. Augusti prohibens sententiam publicè doceri, quæ maculam Virgini in Conceptu adstruit, quo die Madritum id diploma cursor detulit, & ex equo descendit; ipso momento lampas nocturnis tantùm horis coram imagine SSmæ Virginis solita accendi, media placâ clarâ die spontè ardere cœpit, consumptoque exiguo, quo à præ-